SOLEMNIA

IN

ILLVSTRI RVTHENEO

DIE II. IANUAR. ANNI MDCCCXLV.

RITE CELEBRANDA

INDICIT

PHILIPPVS MAYER

THEOL. ET PHIL. D. PROF. ELOQ.

Quaestionum Homericarum Part. III.

De Tiresiae Vaticinatione, quae est in Od. lib. XI. vv. 119—137.

GERAE

EX TYPOGRAPHIA AULICA.

4

I.

Praeter Odysseae libros octavum, undevicesimum, vicesimum tertium et quartum maxime interpolationibus amplificatum esse librum undecimum, inter omnes constat, qui carmina Homerica diligenter pervestigarunt variaque quum veterum tum recentiorum de iis judicia cognoverunt. [1]) Nam ut singulos taceam versus, quos jam veteribus explanatoribus suspectos fuisse accepimus, [2]) addubitantur hodie et vel intextae a diasceuastis vel amplificatae habentur praecipue illae libri, quem diximus, partes, quae de Elpenore agunt (v. 51—83.), de feminis nobilibus (v. 235—333), de Minois, Tityi, Orionis, Tantali et Sisyphi in Orco conditionibus ac tormentis (v. 568—600.), denique totus de Hercule locus (v. 601—627.) [3]). Quo magis mirandum est, ejusdem libri versus 119—137. neque a Graecis criticis obelo notatos neque a nostrae aetatis viris doctis ita in dubitationem vocatos

---

[1]) Cf. quae de illis libris post Wolfium, Spohnium, Bern. Thierschium, alios, judicavit Nitzschius in Annotationum ad Odysseam Vol. II. XLVII — XLIX. LXI — LXII. et pp. 166. 209. sqq. Vol. III. p. 254. atque antea *in Ersch und Gruber Encyclopaedie der Wissenschaften und Künste* s. v. Odyssee. pp. 389. 391. 392. 397.

[2]) Vid. *Spohn* de extrema Odysseae parte p. 53. Not. et Nitzschius in Annotat. ad Odysseam Vol. III. pp. 195—196. 213—14. 230. sqq. 236. 243. 246. 249. 251—54. 256. 257. 258. 272—74. 294. 300. 365.

[3]) Cf. Nitzschius in Annotatt. ad Odysseam Vol. III. pp. 196 sqq. 230 sqq, 304 sqq. — Ad Herrmannus de undecima Odysseae rhapsodia, Lehrsius de Studiis Aristarchi Homericis. p. 159—160.

esse, ut fusius ac copiosius de iis quaerendum censerent.[4]) Nam tantas vaticinatio, quam illi versus continent, habet difficultates, ut vix alium carminum Homericorum locum invenias illo, si non verbis, at sententia obscuriorem atque impeditiorem. Quae caussa fuit, ut veteres Scholiastae varia de hujus vaticinationis sensu et consilio fingerent commenta, ut ex iis apertum est, quae Eustathius ad hunc locum annotavit.[5]) Ait enim, idcirco a Tiresia Ulixem juberi ab Ithaca iterum discedere, *ἵνα τιμηθῇ Ποσειδῶν ἠπειρώτης ἐν τόποις, οἷς οὐ φέρεται αὐτοῦ ὄνομα·* additque, veteres etiam enumerasse aliquot loca barbare sonantia, ubi Ulixes, quum eo pervenisset, praescriptis a Tiresia honoribus Neptunum coluerit. Varie autem quum veteres tum recentiores de vaticinii sensu judicasse maximeque de significatione vocabuli *ἀθηρηλοιγός*, cui illi vim tribuerint ventilabri, hi rudiculae. Nec minus haesitatum fuisse de sensu verborum *ἐξ ἁλός·* nam quum significare his voluerit poeta, quamquam multis ac magnis calamitatibus afflictus Ulixes in mari esset, extra mare tamen olim vitae exitum ei fore, hunc in sensum alios Praepositionem *ἐξ* accepisse, ut Heroi in fluctibus diu jactato dicerent postremum quoque diem ex mari venturum esse; quam interpretationem quosdam sequutos duo illa verba copulando junxisse scripsisseque *ἔξαλος*. Fluxisse autem ex tali interpretatione fabulam de Telegono, Ulixis et Circes filio, qui patrem hasta trygonis spiculo instructa vulneraverit atque interfecerit. Haec Eustathius, qui suum de illis verbis judicium in hunc modum eloquitur: *Ἰστέον δὲ καὶ ὅτι, εἴτε ἔξαλος γράφει τις εἴτε ἐξ ἁλός, λοξότητα χρησμοῦ μιμεῖται ὁ τοιοῦτος λόγος τοῦ Τειρεσίου διὰ τὸ ἀσαφὲς καὶ δυσεξήγητον.* Quam *χρησμοῦ λοξότητα* et ipse agnoscens Nitzschius[6]): *der vorstehende zweite Theil,* inquit, *des prophetischen Bescheides*

---

[4]) Ipse Lauerus, qui in Quaestionibus Homericis Berolini a 1843. in lucem editis primus de undecimi Odysseae libri forma germana et patria egit, institutam de hac vaticinatione quaestionem tribus paginis absolvit. Quem Laueri libellum quanquam ex Ephemeridibus, quae inscriptae sunt: *Repertorium der classischen Literatur. Herausg. von I. G. Mühlmann und Ed. Jenicke, Erstes Heft. Leipz. 1844.* p. 12. tum demum cognovimus, quum hanc nostram disputationem literis consignare inceperamus, quin respiceremus, quantum par esset, non praetermittendum putavimus. Ad. Herrmannus in Dissertatione supra commemorata Tiresiae verba nonnisi praeteriens attigit.

[5]) Cf. Eustathii Commentarii ad Homeri Odysseam. Lips. 1825. T. I. p. 402—3.

[6]) Cf. Annotatt. ad Odysseam. Vol. III. p. 210. — Dammius quoque in Lexico Hom. s.

ist eigenthümlicher Art und bedarf besonderer Auffassung. — Eusthathius gedenkt mit verdienter Geringschätzung derjenigen Alten, welche gewisse barbarisch klingende Ortsnamen zu nennen gewusst, wo Odysseus dem Poseidon geopfert habe. Freilich lauten die Worte des Sehers allerdings so, als gäbe er dem Odysseus wirklich eine Wanderung auf, bis er ein solches Volk treffen und einem Wanderer begegnen würde, der das Ruder für eine Wurfschaufel ansähe, und der Verfasser des letzten Theiles der Odyssee und namentlich der Stelle XXIII. 249. ff. 268. ff. lässt den Odysseus selbst so verstehen. Allein es kann keinem aufmerksamen Leser entgehen, dass die Weisung (des Tiresias) nichts anderes sagen wolle als: „bist du einmal wieder im ruhigen Besitze deines Hauses, so meide für immer das böse Meer.“ Haec Nitzschii sententia in iis nititur, quae de Tiresiae vaticinatione Welckerus proposuit in libro praestantissimo, qui inscriptus est: *„die Aeschylische Trilogie Prometheus“* etc. Ait enim vir doctissimus in ea hujus libri parte, quae agit de Ulixis morte, una scilicet ex deperditis Aeschyli Trilogiis, p. 464., praeter verba illa a Nitzschio allata. *„Es ist ein gediegener kräftiger Lehrspruch, hervorgegangen aus der Vergleichung des gefahrvollen Seelebens mit dem ruhigeren und genussreicheren Daseyn des Landmanns; nicht ohne Bild und Uebertreibung, aber nicht ein geflissentlich hin und herziehendes Räthsel des Bakis.“* —

Et Adolfo Herrmanno ita involuta atque obscura videntur Tiresiae mandata, ut eo minus poetam putet in usum suum ea vertisse, sed veteri exemplari inhaesisse, quod nullam Ulixis mirationem aut percunctationem exciteat; quin adeo non modo delineationem, sed etiam verborum formulam ex antiquitate acceptam subesse illis mandatis censet, nisi forte quis dormitasse bonum Homerum statuerit, id quod propter reliquam ejus partis concinnitatem defendi posse negat. [7]) Lauerus denique, qui unus, quod sciam, non modo loci, quo de agitur, integritatem pluribus, sed vellem validioribus argumentis impugnavit, verum etiam, quae proxime antecedunt, de procis verba, num germana essent, addubitavit, [8]) Lauerus igitur tantum abesse contendit,

---

v. θάνατος inesse his verbis censet oraculum ambiguum, si quidem revera venerit Ulixi mors ex mari i. e. ex filio suo navibus advecto, sed patrem ignorante.

[7]) Cf. l. l. pp. 6 et 9.

[8]) Cf. l. l. p. 47. Quam dubitationem ne faciamus nostram, impediunt quaedam, de quibus

vim atque auctoritatem si quis infringere tentaverit his allatis locis: Il. ε, 409. φ, 573. ω, 288. et inprimis Il. φ, 335: ἐγὼ (Ἥρη) εἴσομαι ἐξ ἁλόθεν χαλεπὴν ὄρσουσα θύελλαν· ei demonstrandum erit, eandem esse in iis locis inter Praepositionem cum Nomine junctam et Verbum rationem, quae est in loco, de quo nos disputamus, id quod non facile possit probari. Nam quem in illis locis ἐκ Praepositio habet significatum mere localem, cum in loco, quo de agimus, vel idcirco habere non potest, quod Homerus nusquam, quantum scimus, dicit, mortem alicui venire ex aliquo loco. Accedit, quod sententiarum ratio non aliam admittit interpretationem, nisi quam nos supra censuimus probandam. Nam et, quod proxime sequitur, Adverbium ἀμφὶ referendum est ad verba ἐξ ἁλὸς h. e. ad locum extra mare situm, et repugnant verba ἀβληχρὸς θάνατος, quo minus de subito illo exitu, quem posteriores finxerunt, cogitemus. Quam autem Welckerus [12]) cum Schol. Q. praefert scripturam, jam veteribus quibusdam, quemadmodum supra cognovimus, probatam, ea defendi quidem potest similibus aliquot vocabulis Homericis, qualia sunt ἀγχίαλος et ἔφαλος, [13]), sed, ut mittamus, quod hae voces non semel, sed saepe apud Homerum occurrunt, vocabulum ἔξαλος non legitur nisi loco, de quo quaerimus: egregie frigeret oratio, si dixisset poeta: terrestris mors tibi veniet, ac copulat quidem Homerus cum vocabulo θάνατος Adjectiva, [14]) quae ad naturam ejus et vim ac rationem pertineant, nusquam tamen Adjectivum reperies cum hac voce conjunctum, quod locum significet, ubi mors hominem aliquem abripit. Itaque eo magis acquiescendum putamus in lectione ἐξ ἁλός, quum non modo Eusta-

---

[12]) Vid. l. l. p. 466. not. cf. Lehrs. l. l. p. 134. not. et Nitzschius in Annotatt. ad Odysseam. Vol. III. p. 210.

[13]) Vocabula ὕφαλος et πάραλος, quae idem Welckerus affert, non sunt Homerica.

[14]) Huc pertinent Adjectiva: πορφύρεος, μέλας, κακός, στυγερός, λευγαλέος, οἴκτιστος, θυμοραϊστής, μαλακός, δυσηχής, τανηλεγής, ἀτελής, alia. Haud raro Adjectivum ἔξαλος apud serioris aetatis scriptores legitur, veluti apud Lucianum, Strabonem, Polybium, Dioscuridem, Oppianum, et ita quidem, ut aut oppositum sit Adjectivo ὕφαλος, ut Luc. Iup. Trag. c. 47. Polyb. 16, 2. significatque vel id quod aquis exstat, vel quod remotum aut subductum a mari est, ut Luc. Amor. c. 8. Strabo 1. p. 50., aut e mari proveniens, ut Oppianus Hal. 2, 593. Homericum locum, de quo agimus, sine dubio imitans, dicit. Cf. 2, 497. — Vid. Lehrs. l. l. p. 143.

ut ejusdem poetae sit Tiresiae mandatum, qui fabulam de Ulixe patriam appetente composuerit, ut ea tantummodo potuerit aetate exoriri, qua, quum illa de Telegono fabula [9]) conformata fuisset, hanc rhapsodi studerent cum Ulixis erroribus conjungere. [10])

II.

Vidimus supra, quae de loco, quem in quaestionem vocare placet, senserint quum veteres tum recentiores Homeri interpretes; nunc, quod nostrum sit de iis sententiis judicium, aperiendum est. Ac primum quidem, ut, quid dicere voluerit sive Homerus sive alius quis versuum, quibus de hic agitur, auctor, manifestum fiat, dirimenda videtur ante omnia exorta illa jam antiquitus de verborum ἐξ ἁλὸς sensu controversia, id quod non alia ratione fieri potest, nisi pervestigata accurate ipsa Homerica dicendi consuetudine. Est autem ex iis locis, quos in censum vocare licet, multo major numerus talis, ut in eorum partes discedere cogamur, qui ἐξ ἁλὸς interpretantur: extra mare. Nam illos si exemeris locos, in quibus hunc significatum habere ἐκ Praepositionem Lexicorum conditores falso contenderunt, ut Il. π, 678. 781. σ, 152. φ, 217., ubi Praepositio propterea, quod pendet a verbo aliquo movendi, vim suam habet ac tenet primariam: nemo sane dubitavit, verba ἐκ βελέων Il. δ, 465. cf. ξ, 130. π, 668. ἐκ καπνοῦ Od. π, 288. τ, 7. ita accipere, ut significare ea dicat: extra tela, extra fumum. [11]) Quorum locorum

---

postmodo videbimus. Ceterum jam Richardum Payne Knight v. 123—125. in dubitationem vocasse, cognosci licet ex his ejus verbis a Lauero citatis: et commentis confictos esse et a rhapsodo serioris aevi insertos commissura satis probat, ut nihil dicam de digammate neglecto in τοί γ' ἴσασι. Cf. B. Thierschius l. l. p. 48.

[9]) Cf. quae ex Eustathio supra protulimus.

[10]) Faerberus, qui censoris de libello Lauerano munus in Annalibus Berolin. 1844 Nr. 158—60. nimis severe exercuisse nobis videtur, versus ait, qui de procis et extremis Ulixis fatis agant, abjudicare Homero velle, nihil aliud esse, nisi Homerum mutilare atque sine ulla caussa injuriam quandam ei inferre. Non itineris ducem Tiresiam Ulixi esse, sed provinciam ei assignasse poetam multo digniorem, ut sapiens Ulixi vates esset, ut rerum futurarum interpres simul atque monitor. De procis nihil pugnamus: de ceteris infra videbimus.

[11]) Ambiguus videtur locus Il. 6, 278; sed tollit, quae intercedit inter hunc locum et Il. π. 668. similitudo, omnem dubitationem.

thius eam probaverit, sed etiam Wolfius, Hermannus, Bekkerus unanimi consensu tueantur.

Quae igitur adhuc disputavimus, si recte disputavimus, haec est versuum 134—135. sententia: mors autem tibi ipsi veniet extra mare atque ea placida.

Tali modo si poetae verba explicamus, ne minimum quidem relinquetur illius ambiguitatis, quam ut in his versibus inesse statuerunt interpretes, ita illis, qui proxime antecedunt, crimini dederunt; quos si quis obscuros reperiet et involutos, non singula verba in culpa sunt, nam ea per se plana sunt, sed ipsa res, ad quam totum vaticinium spectat. Nam quid sibi vult poeta illa monitione, qua Tiresias Ulixi suadet, ut iterum domo proficiscatur iterque remum humeris portans pergat, donec obvius sibi factus viator remum habeat pro ventilabro? Num forte ita constrictus aliena auctoritate fuit, quae non satis accurate praeiverit, ut ipse minus accurate sequeretur, quae sententia est Adolfi Herrmanni, magno poeta prorsus indigna? An de industria tanta Tiresiae vaticinationem involvit caligine, ut Eustathius et Dammius voluerunt? Sane qui ita statuunt, non modo male memores sunt, quid poscat poesis epica, quae omnium poesis generum maxime perspicuitatem dictorum et actionum requirit ac simplicitatem, [15]) sed etiam gravis erroris arguuntur ab Homero ipso, qui nusquam locorum, ubi praedictionem aliquam vel vaticinationem refert, ita obscuro et captioso dicendi genere utitur, ut effatorum sensus neminem non fugiat.

Fuerunt antiquitus, ut supra commemoravimus, qui id spectasse Tiresiam censerent, ut Neptuni cultum Ulixes induceret in terras, ubi nulla tum sacra ejus Dei exstarent. Quae opinio quam parum respondeat poetae verbis, quisque intelliget, qui quidem consideraverit, versus 130. et 131. ad Ulixem referendos esse, non ad ejus regionis, quo is pervenerit, incolas. Ingeniosior sane, quam eae sententiae, quas modo attigimus, illa Welckeri est, cui Nitzschium vidimus adstipulari; sed ea quoque multa habet, quae offendant et, quominus nos eam amplectamur, impediant.

Primum enim, ne pro mera sententia Tiresiae verba habeamus, obstant

---

15) Cf. Godof. Hermannus qui in celebrat. illa Dissertatione De Poeseos Generibus (Opuscul. Vol. 1. p. 28.). Epica poesis, inquit, eo continetur, quod unice rerum planam cognitionem spectat.

ea, quae Ulixes ad illa respondet. Ne uno quidem verbo is, praeceptum aliquod a Tiresia sibi datum esse, significat; immo, quae dicit, necessario referenda sunt ad factum aliquod ac negotium, quod ut perficeret, Dii sibi decreverint. Deinde, si verum est, quod Welckerus ait, sicuti est, in vatis effatis unumquodque verbum grave esse ac maximi momenti [16]): quo tandem jure sumere licet, in hac Tiresiae vaticinatione non singula verba valere, sed subjectam iis sententiam, satis tritam illam et insuper imaginibus occultam? Porro si nihil aliud nisi aridum ac jejunum monitum sub his verbis latere statuimus: nonne repugnet necesse est posterior vaticinationis pars priori, qua praedictionem certae rei futurae contineri, nemo sane negaverit? Denique si praecipere Ulixi Tiresias vellet, ut in futurum periculosis fluctibus sese ne committeret, non his orationis ambagibus utendum ei fuit, sed verbis claris ac dilucidis. An facile fuisse censemus Ulixi, tectum vatis consilium statim eruere ex verbis, in quorum explicatione usque ad hunc diem omnes fere Homeri interpretes, homines sane docti et intelligentes, mirum quantum laboraverunt? At vero ita respondet Heros, quasi omnia optime perspexerit. Ergo aut simulat *δόλου οὐ ληθόμενος* Ulixes, se vatis verba probe assequutum esse, id quod ab illa quidem conditione plane abhorret, aut haec verba non sunt adeo obscura atque impedita. Fiunt autem tum demum aperta atque perspicua, si proprie intelliguntur atque ita, ut non in universum suadere quidquam Tiresiae *ψυχὴ* voluerit, sed, quae post reditum agere Ulixi Deorum fato destinatum fuisset, quemadmodum recte atque ordine ei agenda essent, praecipere.

Haec igitur omnia nos dissentire a Viro doctissimo cogunt, quanquam non dubitari posse, quin ille primus sensus veritatem cognoverit, Nitzschius affirmat, nonnulla, quibus suffulciatur explanatio Welckeri, subjungens. Habet enim haec [17]): *Ein kleines, aber sprechendes Anzeichen, dass der Seher mit seiner Aufgabe nur das Resultat, nicht seine Form meinte, liegt in dem ἔρχεσθαι und dem οἴκαδ' ἀποστείχειν* v. 132. *Dem ganzen Sinne seines Raths gemäss heisst Teiresias den Odysseus* w a n d e r n, g e h e n, *so weit bis u.s.w. und braucht Ausdrücke, die auf einen Weg zu Lande lauten, indem er sich*

---

[16]) Cf. l. l. p. 465.

[17]) Cf. Annotatt. ad. Odysseam. Vol. III. p. 209.

ja selbst widersprochen hätte, wenn er gesagt: fahre. Nun aber war Ithaka eine sehr kleine Insel, so dass Odysseus gleich zuerst doch wieder hätte zu Schiffe gehen müssen.“ Haec Nitzschius. Sed veremur, ne frustra auxilium Welckero ferre ejusque sententiam quam maxime tutari Vir de Homero immortaliter meritus studuerit. Nam quum Verba ἔρχεσθαι et ἀποστείχειν minime idonea esse, quae speratam operam praestent, facile demonstrari possit, ne id quidem, quod ex eorum usu concluditur, locum habere potest. Quanquam enim vocabulum ἔρχεσθαι sexcenties usurpatum legimus de itinere terrestri, maxime in Iliade, non desunt tamen loci, in quibus etiam ii, qui navibus iter faciunt, ἔρχεσθαι dicuntur. Quid? quod sunt in Odysseae rhapsodiis prima et unetvicesima verba, quibus id, quod contendimus, extra omnem dubitationem ponitur eo, quod adjuncta vocabulo ἔρχεσθαι verba leguntur haec: ἐν νηῒ ἐπ' ἠεροειδέα πόντον· vel: μελαινάων ἐπὶ νηῶν· et in aliis quoque Odysseae libris occurrunt loci, ubi illa vocabuli vis ex sententiae nexu luce clarius apparet, veluti in eadem illa rhapsodia prima v. 408., ubi ἀγγελίη πατρὸς ἐρχομένοιο nihil aliud significare potest, nisi nuntium de patre navi adventante; porro in rhapsodiae decimae versu 563., in quo quum socios suos his Ulixes verbis alloquitur: φάσθε νύ που οἰκόνδε φίλην ἐς πατρίδα γαῖαν ἔρχεσθαι· hoc utique dicere vult: sperate sine dubio, domum vos retro navigaturos esse in caram terram patriam; quibus locis conferantur, quaeso, Od. β. vv. 30. et 42. λ, 445, et qui his oppositus est locus ζ, 39., ubi latior Verbi ἔρχεσθαι vis elucet ex addito vocabulo ποσσίν.

Neque aptius videtur, quod Welckeri sententiam defendat, alterum Verbum subsidii caussa a Nitzschio allatum. Nam quum στείχειν, quod haud raro apud Homerum occurrit, non id habeat peculiaritatis, ut iter significet terrestre, ne ἀποστείχειν quidem hanc significationem habere potest primariam, sed haec est utriusque Verbi vis, ut iter denotet, quod certo quodam ordine atque aequabili motu fit; quare simplex quidem Verbum saepissime apud Homerum invenies de bellatoribus in bellum proficiscentibus, ut Il. β. 833. cf. λ, 331. ι, 86. π, 258., utrumque vero usurpatur de tali ingressu, qualis fingitur Deorum, ut Il. α, 522. Od. μ, 243., qualis solis est, Od. λ. 17., denique omnino de incessu lento ac circumspecto, ut Od. ρ, 204., μ, 333.[18])

[18]) Ne apud Pindarum quidem et Hesiodum alia significatione simplex Verbum occurrit, ut ex his locis apparet dilucide: Hesiod. Theog. vv. 10. et 560. Pindari Nem. 1, 98, 5, 6. 9, 47.

Tantum autem abest, ut verum sit, quod de proprio hujus vocabuli significatu Nitzschius proponit, ut Il. β. 287. haud dubie ad Achaeos referatur, ut Trojam delerent, ab Argis profectos.

Sed ad nostrum locum ut revertamur, etiamsi in eo ἀποστείχειν iter declaret, quod per illam terram, cujus incolae res maritimas plane ignorare dicuntur, faciendum Ulixi erat, tamen sequi pernegamus illud, quod sequatur necesse esse Nitzschius sumit. Nam ibi si de terrestri itinere ἀποστείχειν usurpari concedamus: num de solo ac continuo itinere terrestri poeta loquatur necesse est? nonne, ubi pedibus terram illam Ulixes permigraverit, ut digresso ab Ithaca insula, ita domum ab illa terra reversuro navem conscendendam fuisse, ultro ex Tiresiae verbis patet? Pari modo verba λαβὼν ἐυῆρες ἐρετμὸν non ita explicanda sunt, ut ad ipsam Ulixis ab Ithaca profectionem referantur, sed ad illud temporis momentum, quo, navi domo profectus, appulerit illam terram, quam qui incolunt nullam maris habere dicuntur notitiam. Nam quod per se apparet, id pluribus verbis a poeta explicatum iri, nemo sane exspectabit, nec desunt loci, immo exstant permulti, quibus, quae ipse silentio praeteriisset, eos, qui audituri carmina sua essent, mente ac cogitatione expleturos esse, suo jure speravit.. Quae quum ita se habeant, impetrare a nobis nequimus, ut Virorum Clarissimorum, quos supra nominavimus, vestigia prementes in hunc sensum verba, de quibus quaerimus, accipiamus, ut non ad eas res existimemus referenda esse, quae reapse agendae Ulixi fuerint, sed ad fictas tantummodo et brevis praecepti caussa tanta cum orationis amplificatione a Tiresia prolatas. [19])

III.

Sed ad aliam quaestionem nos convertimus, difficiliorem illam et ad subsidia si respicias, quibus expedienda nobis erit, incertiorem ac perplexiorem. Quaeritur enim, utrum locus, qui Tiresiae vaticinium continet, posterior certe ejus pars, quae ad constitutum fatis Ulixi, devictis procis, ab Itha-

---

[19]) Ipse Nitzschius, sibi parum constans, cum nobis facere videtur, quum dicit l. l. Vol. III. p. 210. „*Für den Odysseus selbst scheint eine Ermahnung, sich nach seiner Heimkehr vom Meere fern zu halten, kaum erforderlich.*“

ca discessum attinet, Homerum habeat auctorem an alium quendam serioris aetatis poetam. Quamquam enim veterum interpretum, qui addubitarent Tiresiae verba, quibus de agitur, fuisse vidimus neminem, tamen non tanta esse debet vetustatis auctoritas, ut oculos de industria claudamus et antiquis testimoniis omnem recti pulcrique sensum nullo judicio subjiciamus. Nam et ipse Aristarchus multos locos Homericos obelo signavit, qui a prioribus habiti pro genuinis sunt, veluti, ut unum ex multis afferamus exemplum, ex ipsa rhapsodia, quam in manibus habemus, versus 568—627.; et ea est recentiorum Homeri explanatorum prudentia ac sagacitas, ut, quorum de integritate dubitare, veteribus ne in mentem quidem venit, ea vel indigna divino poeta vel repugnantia actionum seriei vel certe suspecta atque ambigua agnoscant atque declarent.[20]) Si qui locus igitur ita ab Homerico sermone recedit, ut serioris aetatis manifesto habeat vestigia, si a poesis epicae ingenio, quale in Homeri carminibus viget, evidenter abhorret, denique si adeo cum totius poematis compositione dissentit, ut nullo vinculo cum eo cohaereat: haec omnia si locum aliquem in interpolationis suspicionem vocant, ne veterum quidem testimonia tueri eum contra justos impetus possunt.

Quae caussa est, cur etiam locum, in quem inquirimus, in eorum numero ponere, qui a posteriore aliquo scriptore inserti sunt, nihil veremur, quanquam, quae a novissimis ejus impugnatoribus prolata sunt, non talia esse videntur, quae ad evincendam ejus νοθείαν valeant. Nam si Lauerus l. l. p. 48. dicit, vaticinii parte ea, qua post tot pericula terra marique perlata nova eaque gravia subeunda dicantur, opus fuisse Ulixis alacritatem in laboribus suscipiendis illis, qui, priusquam in patriam sospes rediret, ipsi imminerent, vehementer labefactari: haec quum dicit, quibus vaticinii partem illam subvertat, non cogitavit Vir Doctus, quod p. 10. sqq. not. 19. proposuit, idcirco Ulixem in Orcum descendisse, ut, quod ad reditum opus esset, sive consilium sive spem sive metum sive animi firmitatem inde auferret, id propositum quidem ab se, non demonstratum fuisse. Nam id non magis verum est, quam quod porro contendit, hanc sententiam ita esse a poeta expressam, ut diceret, Ulixem in Orcum descendisse, de reditu aliquem h. l. Tiresiam consulturum. Nobis quidem magis arrident, quae, quo consilio poeta ad

---

[20]) Cf. Nitzschius, qui l. l. Vol. II. XXXII—LXIV. subtiliter ac copiose de hac re disserit.

inferos descendentem fecerit Ulixem, acutissime, ut solet, disputat Nitzschius, vel quae Faerberus de hac re in censura supra commemorata judicat. Utraque enim sententia[21]), licet cum toto Odysseae argumento ac consilio parum conspiret, tamen minus aliena est a poesis Homericae natura atque indole.

Nec magis apta videntur ad ea, quae Lauerus vult, probanda, quae ille de hujus vaticinii cum Telegonia, carmine quodam cyclico, cohaerentia dixit. Ait enim, qui versus fecerit 121. sqq., quum itineris ad Thesprotos suscepti notitiam habuerit, eundem mortem Ulixi a Telegono oblatam cognovisse probabile esse; cui rei adversari v. 134. sqq. — At fuit illa cohaerentia demonstranda, de qua re postmodo videbimus; nunc ad propositum pergamus.

Ac primum quidem in interpolationis crimen illum, qui versus, de quibus loquimur, scripsit, idcirco vocamus, quod permulta in iis insunt, quae contra Homericam dicendi consuetudinem pugnant. Pertinet huc ante omnia singularis ac paene mirificus usus Verbi πεφνεῖν. Nam in omnibus locis, quibus hoc Verbum occurrit, usurpatum id legimus de morte, quae ferro vel hasta et arcu atque in proelio fit, ut loci declarant a Dammio enumerati: in nostro tantummodo loco et qui inde fluxit, Od. χ. 346. placidum ac tranquillum vitae exitum significat, quem vocabuli usum frustra excusaveris, si cum Dammio mortem dixeris quasi personam induci caedentem. Quanquam enim, Figuram Prosopopoeias etiam in mortis notione ab Homero adhiberi, unusquisque facile dabit, nemo tamen erit, qui imaginem, quae hoc loco ex illius Figurae usu oriatur, censeat esse non modo Homericam, sed probam ac sententiae, quam proponere poeta vult, consentaneam. Nam quid

---

21) Ait enim Nitzschius l. l. Vol. III. p. 209. „*Ist nun der angegebene Sinn entschieden der richtige, so möchte man dem Dichter eine Absicht, auf die Hörer zu wirken, um so mehr beilegen* etc. p. 211. *In Bezug auf die Haupthandlung des Gedichts mag diese Hinweisung auf ein ruhiges Alter unter den glücklichen Seinigen und einen sanften Tod mit der auf Troja's Fall zu vergleichen seyn. Beide sind nur bestimmt, eine menschliche Rührung bei dem Hörer hervorzubringen.*“ — Faerberi sententia haec est: *Tiresias ist für Odysseus der weise Seher, der warnende und zukunftverkündende Prophet. Und so verkündet er ihm auch von seinen Kämpfen mit den Freiern und von den Schicksalen seiner spätesten Tage nicht ohne die mysteriöse Färbung des Orakelstils und durch dies Alles gewinnt sein Ausspruch an Umfang, Bedeutung und Grossartigkeit.*“ Contra utramque sententiam quid dicendum sit, vid. p. 16. not.

absurdius, quam ita mortis quasi personam fingere, ut hominem senio confectum, cui ne vires quidem sint resistendi, veluti ferro adoriatur atque caedat? ut taceam, quod ego quidem nullius loci sum memor, quo simili modo mors partes agat bellatoris.

Offendit porro, quod poeta dicit, fore, ut mors Ulixem aggrediatur γήρᾳ ὑπὸ λιπαρῷ ἀρημένον. Nam quid sibi volunt haec verba? in his quid significat Participium ἀρημένον, cujus quaecunque est originatio, hoc certe pro explorato haberi potest, ubique locorum id eam habere vim, ut conditionem significet molestam ac pressam, quemadmodum quisque intelliget, qui comparaverit inter se locos Od. ζ, 2. et μ, 281. Cf. Il. κ, 98. 312. et ι, 403. inprimisque σ, 53., ubi agitur de sene aerumnis oppresso, et Il. σ, 434., ubi Peleus commemoratur γήραϊ λυγρῷ ἀρημένος. At in nostro loco non de molesta vel calamitosa senectute poeta loquitur, sed de splendida ac fortunata: num igitur tolerari hic Participii usus potest? Nonne quam maxime repugnant inter se tranquillitatis notiones et molestiae? — Nisi verendum nobis esset, ne in pugnacitatis atque iniquitatis suspicionem incurreremus, etiam contra usum vocabulorum ἀθηρηλοιγὸς et ἄβληχρος aliquid diceremus. Nam mira nobis videtur conjunctio, quam cum vocabulo θάνατος hoc Adjectivum init. Usurpat quidem id passim Homerus, sed ita, ut habeat vituperationem, veluti Il. ε, 337. θ, 178. De vocabulo autem ἀθηρηλοιγός, quod semel apud poetam occurrit, quantopere jam veteres dissenserint, docet Eustathius. —

Accedit ad hunc absonum ab Homerica dicendi consuetudine singulorum verborum usum, quod, qui versus, ad quos haec quaestio spectat, pepigit, imagine utitur, seriorem aetatem magis, quam Homericam comparandi rationem redolente. Aut enim magnopere erro aut non fuit Homerus, qui ita remos descripsit, ut dixerit: τά τε πτερὰ νηυσὶ πέλονται.[22]) Explicat quidem Nitzschius hanc similitudinem accommodate ad rem ipsam, sed qui contulerit cum nostro loco Il. τ, 386., ubi verbis τῷ (Ἀχιλλεῖ) εὖτε πτερὰ γίγνετ (scil. ἔντεα)· nihil aliud dicere poeta vult, quam: arma illi pennarum habebant levitatem: is, quanto illa verba discrimine ab hac imagine distent,

---

[22]) Cf. Annotatt. ad Odysseam Vol. III. p. 207.: *„Wie die Ruder Flügel der Schiffe genannt werden konnten, versteht man erst recht, wenn man den Ruderschlag auf beiden Seiten eines Fahrzeugs in seiner gleichen Bewegung beobachtet.*

sentiet.[23]) An eundem putabimus poetam, qui, ubi similitudine illustrare rem aliquam studet, hac ipsa re quasi ex oculis dimissa, nihil intueatur atque proponat, nisi id, quo comparandi caussa utitur: eundem censebimus illa affectata paene ratione, qua fit nostro loco, remos fuisse descripturum? ut mittam, quod non modo plane superflua hic talis illustratio videtur, sed etiam ipsa imago parum apta est ad eos remos describendos, quos poeta vocat ἔρετμα εὐήρεα.[24]) Fortasse meus me sensus fallit; sed egregie mihi displicent haec verba, quae probe intelligo non ita magni momenti esse ad meam rem defendendam. Attamen dicendum erat, quid de iis sentirem.

Jam vero progrediendum est ad majora et graviora; nam quae adhuc disputavimus, iis labefactasse quidem versus, in quos inquirimus, nobis videmur, nec tamen commovisse atque ex Odysseae libro, cui intrusi antiquitus fuere, ut par est, expulisse. Diximus autem supra, si qui locus praeter sermonis quasdam suspiciones id quoque habeat offensionis, ut ab eo poesis epicae ingenio, quod Homeri carminibus continetur, haud dubie abhorreat, cum, quamvis antiquis munitum testimoniis, jure in interpolationis criminationem vocari. Id quoque in nostrum locum cadere, nunc demonstrandum est.

Et primum quidem si vaticinii, quod Tiresias edit, habitum ac rationem conferimus cum illa Protei praedictione, quae est Od. δ, 349—570: quanta est duarum vaticinationum diversitas! In Protei verbis, si aliquot exceperis versus, ab interpolatore aliquo intextos, omnia plana sunt ac dilucida; omnia ad res vel gestas pertinent vel gerendas; quae vero proponuntur agenda, ea nihil habent difficultatis, nihil ambiguitatis, sed legibus parent poesis epicae, quarum supremam esse perspicuitatis legem supra vidimus. Nam si poetae epici est, actiones enarrare sive gestas sive gerendas, neminem, quid narret, debet fugere. Porro carmini epico non licet, res continere eas, quae cur referantur, nemo facili negotio intelligat. Ex quo genere Tiresiae verba sunt. Nam quid attinet ad Odysseae auditorem lectoremve, qui nihil

---

[23]) Multo aptior ac dilucidior haec imago est Aeschylea: Agam. v. 53: πτερύγων ἐρετμοῖσιν ἐρέσσομαι· et, quam Virgilius habet Aen 1, 300.: Volat ille (Majae filius) per aëra magnum remigio alarum. Cf. l. III, 520: velorum pandimus alas.

[24]) In qua re non est parvi aestimandum, quod praeter nostrum locum et qui ex eo originem traxit Od. ψ, 268. 272. uno tantummodo loco, qui est Od. μ, 15. illud Adjectivum usurpatum legimus, sed ibi aptius ad rem, quae refertur.

aliud ex Tiresiae ore percipere gestiat, quam num et quomodo domum Ulixes rediturus sit, quaque ratione sit procorum injurias ulturus: quid attinet ad illum, ea praeter exspectationem cognoscere fata, quae post desideratum illum reditum procorumque interitum Ulixi immineant?

Denique quum ab rerum ordine declinare varietatibusque carmen suum distinguere non modo licitum sit poetae, sed etiam, ut id fiat, merito ab eo postulari possit, tamen ejusmodi egressiones esse debent eae, quae cum ipsa re aliquo vinculo contineantur, vel praeparantes futura vel accelerantes praesentia vel etiam ita actionem retardantes, ut quasi deverticula quaedam, quemadmodum Livius ait, requiescendi caussa audientium legentiumve animis praebeant.[25]) Quorum nihil habet illa vaticinii pars, qua de agimus, egressioni haud dissimilis: nam neque cum rebus ipsis cohaeret, neque actionis perpetuitatem adjuvat, neque ita interposita est, ut requiem quandam oblectationemve afferat; immo, quum sensus laboret difficultatibus, etiam oneri fit ac molestiae.[26])

Sed, quod tertium fuit, quo ab genuino diximus in Homeri carminibus dignosci posse adsciticium, exclusum hoc ac remotum esse a tota poematum illorum descriptione, id quale sit, ex nostro loco quam maxime elucet. Nam ut nostram de Homeri carminibus sententiam breviter aperiamus, non in eorum partes concedimus, qui conflata esse ac consuta illa poemata opinantur ex antiquiorum carminum minorum multitudine undique congestarum,[27]) sed composita ab uno eodemque summo poeta esse censemus, qui, quid

---

[25]) Cf. Hegelius in *Vorlesungen über die Aesthetik.* Vol. III. p. 380.: *„Die Lust an dem, was da ist und an der Form der wirklichen Qualität darf jedoch, wie ich schon sagte, nicht so weit gehn, auch Zustände und Erscheinungen mit in das Gedicht aufzunehmen, welche in gar keinem Zusammenhange mit der besonderen Handlung oder deren Grundlage stehn, sondern selbst die Episoden müssen sich in Betreff auf den Fortgang der Begebenheit, sei es auch als Hemmniss und aufhaltendes Zwischenereigniss wirksam erweisen.“*

[26]) Haec caussa est, cur neque Nitzschii neque Faerberi sententiam, de quibus supra (not. 21.) diximus, pro veris habeamus.

[27]) Vid. Hegelius l. l. Vol. III. p. 403.: *„Jedes dieser Gedichte ist — was man auch sagen mag — in sich so vollendet, ein so bestimmtes, so einstimmiges Ganzes, dass gerade die Meinung, sie seien beide nur so von einzelnen Rhapsoden gesungen und fortgesetzt, für mich diesen Werken nur das richtige Lob ertheilt, dass sie ihrem ganzen Tone der Darstellung schlechthin national und sachlich und selbst in ihren einzelnen Theilen so ab-*

sibi vellet, probe sentiens, tam certo ac firmo judicio res illas, quas narraturus esset, elegerit, digesserit, disposuerit, ut omnes carminum partes arctissime inter se conjunctae atque implicatae sint; ut vel prima rhapsodia, immo vel primi utriusque carminis versus, quo tendat poeta, significent; ut is a proposito cursu nunquam aberret; denique ut, ubi ad exitum utriusque poematis lector pervenerit, id ipsum, quod evenerit, se exspectasse ab initio, fateatur necesse sit. Quam rem ita se habere, egregie demonstravit in Odysseae descriptione (Annotatt. ad Od. Vol. II. p. XXXII—LXIV.) Nitzschius, qui alio quodam loco, neminem, nisi qui majoris operis descriptionem in universum informatam accurate exigere voluisset, in interpolationibus reperiendis quidquam proficere posse, suo jure dixisse mihi quidem videtur. Sequitur autem necessario, ut, quicquid cum utriusque carminis argumento atque descriptione non intima societate sit copulatum, pro supposito habendum sit ac pro serioris aetatis additamento.

Si quis igitur Odysseae primos nonaginta quinque versus accurate consideraverit perspexeritque repetita saepius carminis lectione, qua arte, qua constantia, qua religione poeta adumbratum illis versibus argumentum persequutus sit, ei non permirum modo videbitur illud Tiresiae vaticinium, sed magnam habebit offensionem.[28]) An ullo ante loco significavit poeta, fore, ut audiret Ulixes ab Tiresia, quae sibi instarent post procorum internecionem in continenti aliqua terra fata ac labores? nonne iter ad inferos Ulixem eo tantum consilio suscepisse, ut de reditu suo a vate comperiret, multi loci testantur, veluti Od. X, 50. 89. 161. 488. sqq. 539. sqq. XI. 2. sqq.? Praeterea si aliquid haberent Tiresiae verba vel ad carminis perpetuitatem vel per se ipsa momenti, non minus ea iteraturus poeta fuisset, quam illos locos, qui caussam et consilium ejus itineris aperiunt. At vero tantum abest, ut aliqua vis in iis verbis insit vel dignitas, ut, ubi legentes ad extremum carminis pervenerint, excidere sibi illa potius, quam haerere malint, ne, quam illud extremum habere debet tranquillandi vim ac potestatem, ea perditum eat vel certe imminuatur.

---

gerundet seien, dass jeder für sich ein Ganzes erscheinen könnte " Cf. Nitzschius de Hist. Hom. Fascicul. post. Praef. X—XIX.

[28]) Quae res, ita de hac vaticinatione ut judicemus, facit, eadem refutare, quae de procis protulit Lauerus, nos cogit. (Cf. supra not. 8.) Nam vid. Od. α, vv. 90—92. cf. 165—168. 227—230. 245—51. inprimis vv. 265—270.

Haec igitur quum ita sint, vix necessarium esse putamus, ut alia praeterea proponamus, quibus magis etiam certa atque evidentia fiant, quae demonstranda sumpsimus. Unum tacere nolumus. Sexcenties in Homeri carminibus sermo est de sacris Deorum uni alicui vel pluribus factis: sed cur, quaeso, nusquam id sacrorum genus commemoratur, cujus in nostro loco mentio fit? Num quis illorum poetarum, qui proxime Homerum scripserunt, ullam hujus sacrificii habuit notitiam? Num, quae de illis τριττύσι sive Suovetaurilibus, quae vocabant Romani, afferuntur Graecae antiquitatis testimonia, ultra Epicharmum et Aristophanem ascendere nos sinunt? [29])

Ut igitur absolvamus rem, quam ad liquidum perducere, quantum fieri posset, nobis proposuimus, ad postremam hujus disputationis partem pergimus, unde posterior illa vaticinationis, quam Tiresias edit, pars in undecimum Odysseae librum venerit, quaesituri. In qua re inprimis respicienda nobis est sententia Laueri, et quam, qui illius Viri docti censor exstitit, Faerberus, iniit, explicandi ratio. Censet enim ille, quum materia rhapsodiae undecimae tum forma, sive a Boeoto aliquo sive inter Boeotos Νεκυίαν compositam esse, probari. Cui sententiae ita refragatur Faerberus, ut Boeoticam ejus rhapsodiae originem probe demonstrari posse neget; nam satis fuisse caussarum, cur Boeotiae Heroes et Heroinas etiam minoris Asiae poetae carminibus suis celebrarent. Nos ut aut Lauero aut Faerbero adstipulemur, vel idcirco adduci non possumus, quod et plane alia nostra quaestio est, atque illorum, qui de totius libri undecimi origine exponunt, et ipse Lauerus, num omnino talis quaestio in vero versari possit, videtur addubitare. Nostrum enim est, demonstrare, qui factum sit, ut versus illi, quos alienissimos ab Homericorum carminum ratione esse declaravisse nobis videmur, Odysseae insererentur et quando. In quam rem ut accurate inquiramus, paucis agendum videtur de iis poetis, qui ambiguo nomine vocantur Cyclici. De ea re quae acutissime ac copiosissime disputavit Nitzschius, iis nunc extra omnem dubitationem posita videntur, significari illo nomine poetas, qui Homerum aemulantes, quae summus poeta intacta reliquisset belli Trojani tempora, ea carminibus suis exsequerentur, neque id tamen ita, ut, quemadmodum multi opinantur, carmen ab Homero institutum pertexerent, sed antiquiora carmina novae artis aemulatione studerent supera-

---

[29]) Vid. Nitzschius Annotatt. ad Od. Vol. III. p. 207.

re.[30]) Sequi autem nobis videtur, ut, quo arctior Homeri inter et illorum carmina et argumento et forma intercederet conjunctio, eo propius ad celebratissimi poetae laudes aemuli illi accederent; unde id efficitur, ut et eas ex cyclo Trojano celebrandas sumerent fabulas, quae cum Iliade et Odyssea arctissime cohaererent, et, quocunque modo possent, cum his carminibus illas implicarent. Sic factum videmus, ut carmina componerent, quibus et viam Iliadi et Odysseae munirent, veluti Cypriorum scriptor et ille, qui Νόστους confecit, et, quae post Ilii interitum et reducis Ulixis cum procis certamina facta ferebantur, tractarent ornarentque, ut Arctinus Aethiopide et Ilii Perside, ut Lesches Ilia parva, ut Eugammon Telegonia.[31]) Is Telegoniae scriptor nobis multum habet momenti, quippe qui poemate suo ea pertexuerit, quae praedicta ab Tiresia nunc legimus versibus illis, quos in quaestionem vocavimus, sed ita pertexuerit, ut falsa verborum ἐξ ἁλὸς interpretatione, quemadmodum supra cognovimus, Ulixem faceret a Telegono filio interfectum. Videmus igitur, fuisse illa Tiresiae verba in Odyssea, quum Telegoniam Eugammon composuerit, quod verisimile est factum esse circa Olymp. quinquagesimam tertiam; nam illo certe tempore Iliadis et Odysseae conditionem fuisse eam, quam habemus nunc, satis exploratum est.[32]) Eugammonem vero non imitatum modo esse, sed compilasse carmen quoddam antiquius, cui nomen fuerit Thesprotis, auctor est Clemens Alexandrinus, falso id tribuens Musaeo.[33]) Ejus carminis quicunque fuit scriptor, id certum videtur, celebratum in eo fuisse Ulixem, factis, quae Tiresias praeceperat, sacris, iter ad Thesprotos suscipientem junctoque cum Callidice, Thesprotorum regina, matrimonio, illam gentem felici ac diuturna dominatione regentem. Quae omnia cum loci, de quo disputamus, argumento tam egregie concordant, ut aut originem inde Thesprotidem traxisse aut hoc ex carmine verba illa nobis suspecta in Odysseam venisse statuendum sit. Est haec nostra sententia, brevibus jam explicanda. Ut enim Ha-

---

30) Cf. Nitzschius De Hist Hom. Fasc. post Praef. XIII. et p. 24.

31) Vid. O. Muellerus in censura libri Welckeriani De Cyclo epico in Zimmermann. Diario a. 1835. Fasc. XIII. p. 1158. et 1165.

32) Cf. Nitzschius in Encyclop. Halensi s. v. Odyssee p. 234. et O. Muellerus in Hist. lit. gr. Vol. I. p. 112.

33) Vid. Nitzschius in Encyclop. Hal. p. 224. O. Muellerus in Hist. lit. gr. Vol. I. p. 122. not. Welckerus de Cyclo epico p. 444. —

gias Tiresiam in Νόστους introduxit, quo, quae in Odyssea de Tiresia commemorantur, haberent, quibus niterentur, ita Thesprotidis auctor, Tiresiae vaticinio, quale in Odysseae libro XI. vv. 100 — 118. continetur, non contentus, ampliora illum et quae ultra Odysseae argumentum procederent, vaticinari voluit. Sed quae alia poterant, perfunctis maris calamitatibus omnibus, exantlanda Ulixi fata fingi, quam quae in continenti terra ei acciderent? Itaque in ἤπειρον iter faciendum Ulixi erat h. e. in Epirotarum terram,[34]) cujus pars fuit Thesprotia, ubi post longam dominationis prosperitatem felici omnium circumcirca gentium statu ac conditione supremum diem obiturus esset. Talibus enim μακαρισμοῖς paene omnes, qui post Homerum Heroum fata celebrabant, concludere carmina sua soliti sunt.

Id fere argumentum Thesprotidis fuisse censemus, quod carmen ut arctius cum Odyssea cohaereret, posteriorem vaticinationis, quam Tiresias effatus est, partem huic poemati a rhapsodo aliquo insertam esse sumimus. Hoc enim eodem jure pro certo habere licet, quo, alteram Odysseae Νεκυίαν ex Hagiae Νόστοις aliosque Homericorum poematum locos ex aliis carminibus recentioribus desumptos ab rhapsodis atque conjungendi caussa intextos illis fuisse, hodie viri docti statuunt. Illud autem argumentum Telegoniae scriptor novis fabulis adauxit atque exornavit.[35])

Atque haec quidem habuimus, quae de Tiresiae vaticinatione scriberemus: nunc autem veniendum est ad eam partem officii nostri, quae posita est in indicendis orationibus, quibus novi anni initium ex pio majorum more atque instituto crastino die hora XI. antemerid. in Auditorio Gymnasii majore celebrabunt cives secundae classis tres, quorum qui primus suggestum ascendet,

Robertus Schmidt, Geranus, latine exponet de celebratissimo illo Micipsae, Numidarum regis, dicto: *concordia parvae res crescunt, discordia maximae dilabuntur*; post eum

Carolus Zopf, Heidelbergae natus, *de linguae Francogallicae virtutibus quibusdam praecipuis* Francogallice disseret; postremo

Bernhardus Schlotter, Köstritiensis, *de Joannis Godofredi Herderi pueritia* patrio sermone verba faciet.

Ad has igitur orationes audiendas **Inspectores** Gymnasii **Gravissimos** et quoscunque schola nostra **Patronos** ac **Fautores** habet, qua par est observantia invitamus.

Gerae, d. 1. m. Jan. MDCCCXLV.

---

[34]) Cf. Welckerus de Cyclo epico pp. 235. et 262.

[35]) Si quis fabularum de Ulixe post Homerum fictarum copiam cognoscere volet, adeat Nitzschium in Encyclop. Hal. s. v. Odysseus p. 4. sqq. (P. 12. v. 14 a f. l. vereamur.)